

DISPUTATIO
DE
PROTEVANGELIO

Genes. III, 15.

Contra

JACOBUM GORDONUM HUNTLÆUM,

Jesuitam Scotum, in illustri Academia Jenensi habita

10. Nov. Anno 1625.

RESPONDENTE

M. JOACHIMO HERTZBERGIO,

Wifinaria-Megapolitano.

THESIS I.

Quando Orthodoxi *contritionem Serpentinae capitis* Gen. III, 15. h. e. destructionem regni ac potentiae Diaboli, soli Mediatori nostro Christo Jesu, evidentia verborum promissionis hujus Evangelicae, & analogia totius sacrae Scripturae nixi, adscribunt: varias luci huic illustrissimae Satanas offundere tenebras conatur.

II. Praesertim autem per Monachos olim hoc egit, ut ad stabiliendam *Μαριολατρείαν*, Mariae *αειπαρθένας* Matri Christi adscriberetur id, quod sine contumelia sanctissimi ejusdem Filii, ei adscribi nec potest nec debet.

III. Unde, quando in Hebraico authentico textu ita legitur: *אמר יפה* (relata hac voce ad praecedens *זרע* semen mulieris) seu ipsum *conteret caput tuum* (o serpens!) Latina vetus versio ad mulierem relativum illud refert; *ipsa* (inquiens) *conteret caput tuum*.

IV. Quam autem mulierem per *το ipsa* intelligant, praeter alia scripta, Antidotarium animae fol. 118. ostendit, ubi B. virginem ita alloquuntur *Μαριλάτρεν*: *Adoro & benedico sanctissimos pedes tuos, quibus antiquus serpentis caput calcasti.*

V. Neve quis opinetur, ea ratione Mariae

calcationem capitis antiqui serpentis eos adscribere, qua Paulus omnes Christianos virtute meriti Christi Diabolum vincere innuit, Rom. XVI, 20. *DEUS pacis conteret Satanam sub pedibus vestris velociter*; per divinum redemptionis nostrae opus, calcationem illam (Mariae adscriptam) manifesto explicant.

VI. Ita enim in Mariali Anno 1493. Argentinæ edito l. i. c. 5. legitur: *Adultimum fuit Dominus cum ea* (Maria) *& ipsa cum Domino, in eodem labore, & in eodem opere redemptionis. Mater misericordiae adjuvit Patrem misericordiarum in opere nostrae salutis, unde praedictum est de primamuliere: Faciamus ei adjutorium. Quid est ergo, quod Dominus dicit Esa. LXIII. Torcular calcavi solus, & de gentibus non fuit vir mecum? Verum est, Domine, quod non fuit vir tecum* (egregia scil. explicatio!) *sed mulier una tecum est, quae omnia vulnera, quae tu suscepisti in corpore, suscepit in corde.* In revelationibus Brigittae cap. 3. Christus ita introducit loquens: *Ego Filius DEI bene dicere possum, quod mater mea & ego quasi cum uno corde salvavimus hominem, ego patiendo corde & carne, ipsa cordis dolore & amore.*

VII. Neve obvertatur, in densissimis superio-

rio.